Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

neret. nullius sequentium interpretationem sed sensum hebraicum suo sermone uertentium. Symmachus. theodotio. et lxx. de hoc loco diuersa senserunt. Et quia longum est de omnibus dicere. lxx. interpretes qui leguntur in ecclesiis breuiter transcurram. Reiecto populo iudeorum sacerdotibus et prophetis qui inebriati sunt sicera et errauerunt. et maledictio commedit consilium eorum quod inierunt propter auariciam cui annunciamus fiducias. pro christo tribulationes cui mala pro quibus paratur corona uirtutum. Uta que his qui ablactati sunt a lacte. qui auulsi ab ubere. haud dubium quin apostolos significet. Tribulationem super tribulationem expecta. Loquitur autem ad chorum apostolorum omniumque credentium. ut non aduna sed ad multas separet tribulationes. ut cum tribulatus fuerit atque depressus rursum speret. et spem super spem habeat. Quod si paululum tardauerint que promissa sunt. non sit incredulus. Modicum enim paruulumque et uenient que promissa sunt. Et enim tribulatio patientiam operatur. paciencia probationem. probatio spem. spes autem non confundit. Et hec ipsa tribulatio geminabitur de detractione labiorum et blasphemiis persequentium. quibus aduersus dei populum rabido ore deseuiunt. Porro apostoli et apostolici uiri loquentur ad populum iudeorum dicentes. Hec est requies esurienti iusticiam. et hec contricio et angustia que ducit ad uitam. Illis hec predicantibus audire impii noluerunt. Unde hoc quod ad dei populum dicebatur tribulationem sustine. tribulationem sustine. expecta spem. expecta spem. expecta spem. adhuc modicum. adhuc modicum. illis uertitur in penam qui audire sermonem domini noluerunt. ut corruant

et uadant retrorsum et in periculum obsidionis ac mortis incurrant. et absque ullo miseriarum fine capiantur. Quod autem uerbum hebraicum deam quod omnes uerterunt sciam soli lxx. mala interpretati sunt. error perspicuus est. Prima enim littera deleth. tres. paruo apice distinguuntur. Si ergo legatur deah scienciam sonat. si rea maliciam. non a malo quod contrarium bono est sed ab angustia. Propter hoc audite uerbum domini uiri illusores qui dominamini super populum meum qui est in ierusalem. Dixistis enim. Percussimus fedus cum morte. et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit non ueniet super nos. quia posuimus mendacium spem nostram et mendatio protecti sumus. Lxx. Propterea audite uerbum domini uiri tribulati. et principes populi huius qui est in ierusalem. quia dixistis. Fecimus testamentum cum inferno. et cum morte pactum. Tempestas transiens si irruerit non ueniet super nos. quoniam posuimus mendacium spem nostram et mendatio protegimur. Quod supra diximus cum irrisione solitos principes iudeorum prophetis dicere. manda remanda. expecta reexpecta. et cetera his similia. per que ostenditur. nequaquam eos prophetarum credidisse sermonibus sed prophetiam eorum habuisse despectui. ostendit capitulum presens quod appellantur uiri illusores. Scribe autem et pharisei qui dominantur super populum dei in ierusalem. quos lxx. uocant uiros tribulatos et principes populi ierusalem. Dixerunt enim non sermone sed opere. Sumus sicut et cetere nationes habemus pactum et fedus cum inferno et cum morte. semel salutem desperauimus. Certe capti